



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

89. Conuers. occultae ingenti numero.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

propensi animi testimonia, nihil tale sperantibus, nedum poscentibus suam detulit gratiam, liberamque in regno habitationem; Deo verfatilem barbarum aliquando firmante, quoad Christianitas illa nascens firmiter constitisset; nanis enim discedens, Patrum metus in mentes saltem aliquot abstulit. Sperabant, & amplam facultatem Apostolici muneris publice obeundi, si Rex bellum inferret rebelli Cocincina, cui recuperandae, ab anno praecedenti habebat in armis ingentes mari terraque exercitus, & in iis elephantes mille qua vectarios qua pugnaes. Vnum deerat ad mouendum, quod nefas putant ante bellum omiti, sacrificium solenne archidæmonum maximo, & Regum functorum Manibus quos eò tantum Semideos colunt, quod Tunchini Reges exiterint. Dies erat auguratò lectus ad sacrificium, secundæ Lunæ vicissimus sextus; Sacerdos ipse Rex; locus sterilis insula quam efficit fluvius, vterque circum exercitus in suos ordines elegantissima specie digestus. In medio Rex, & Mandarinorum Senatus vniuersus, cum praecipuis militiæ Praefectis, longo vtrimque, & pulcherrimo prospectu naues, cuiusmodi solent à Tunchinensibus ornari. Agi vix ceptum, & bubali, porciue mactari, cum vel casu, vel fraude demonis cui sacrum fiebat, densari ex templo nubibus, & nocte caelum, totumque in imbres per horam continuam ruere, post quam Sol serenum referens, duobus circulis coloris ambigui apparet coronatus. Hic statim augures, ipseque Rex eorum nequissimus, praesagiri motus intestinos, abdicari bellum, reduci exercitus domum oportere, de Cocincina mirum silentium, Patres eodem interdicto ministerij sui vt ante ardari, quod occasione belli putarant dissoluendum. Hinc tamen Rex animaduertens, non posse sibi nisi à fratribus in Regno negotium fieri callidè ipsorum enervatas vires, potentiam & opes, priuatae propemodum fortunæ adæquat; vtque sensum doloris in hac eorum diminutione splendido titulo incantet, Cinæ honore euanido illos ornat, hoc est sublimè in caelum suspendit nullo iis relicto ad firmamentum solo, quo eius tituli partem aliquam sustinerent Patres tamen occulta & strenua munerum assiduitate (quando publica non licebat) quantis Christi gregem millibus auxerint, quantis promouerint gradibus in sanctimoniam decursu, testes sint primum lustrales membranae in quas magna fide referebantur nomina initiatorum. Sex quidem vltimis anni 1631. mensibus lustratos legimus ethnicos ter mille tres & quadraginta, sequenti anno quinquies mille septingentos, septem & viginti. Anno 33. septem millia septingenti quinquaginta duo prioribus addita, nec annus vllus prouentu caruit, creuitque ad octingentos sexaginta quatuor supra octies mille qui iuncti partim à Rhodio eiusque tribus Catechistis Christianorum millia triginta, & viginti nouem supra ducentos conficiunt in Tunchino renata; cui ante annum xvi huius 27. nec umbra veræ lucis nec veri Dei affulserat; quodque theatrum videtur diuinæ gratiæ luculentissimum, paucorum opera, eaque 17. anni

29.  
Conuers. occul-  
tæ ingenti  
numero.

30.  
Pietatis ex-  
empla & cura-  
tionū dona  
quæ in Tū-  
chin. & libe-  
ratio arrip.